



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Innocentii III. Epistola ad electum Cathalanensem & Abbatem Trium
fontium, de qua fit mentio suprà pag. 291.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

spectare commissimus nos iudicio, diffinitioni, seu
 ordinationi venerabilis patris Romani sancti An-
 geli Diaconi Cardinalis apostolicæ sedis Legati,
 in ipsum tanquam in Legatum & iudicem consen-
 tiendo, promittentes nos iudicio, diffinitio-
 nem, seu ordinationem ipsius in perpetuum fer-
 vare & nullo tempore contravenire, renuntiando
 omnibus iudiciis, commissionibus, processibus,
 & actis quæ nobis competeant vel competere
 possent in causa ista. In cuius rei testimonium, ad
 majorem præmissorum omnium firmitatem, præ-
 sentes litteras exinde confectas nos Abbatissa &
 conventus sigillis nostris duximus roborandas. Nos
 verò clerus & populus, quia sigillum proprium
 non habemus, eisdem sigillis Abbatissæ & con-
 ventus fidem volumus omnimodam adhiberi. Actum
 Meldis anno Domini M C C X V. mensis
 Octobri. Nos autem rationibus utriusque partis
 diligenter auditis, inspectis Iotrensis monasterij
 privilegiis, habito etiam super hoc cum viris
 prudentibus diligenti tractatu, pronuntiamus,
 diffinimus, & ordinamus quòd Abbatissa & con-
 ventus monasterij Iotrensis chrìsma, oleum san-
 ctum, consecrationes altarium seu basilicarum, be-
 nedictiones monialium, & ordinationes clericorum
 qui ad ordines fuerint promovendi à dicto
 Meldensi Episcopo & successoribus suis suscipiant
 & non ab aliis, siquidem catholicus fuerit & gra-
 tiam atque communionem apostolicæ sedis ha-
 buerit, & ea gratis & sine difficultate voluerit
 exhibere. Alioquin liceat eis quemcumque volue-
 rint catholicum adire antistitem, qui eis licenter
 exhibeat postulata. Quando verò Episcopum Mel-
 densem ab eisdem Abbatissa & conventu propter
 hæc exequenda contigerit evocari, dictus Episcopus
 exhibeat honestè, cum nullus teneatur
 secundùm Apostolum suis stipendiis militare. Ce-
 terùm Abbatissa à quocumque maluerit Episcopo
 absque professione & promissione cuiuslibet obe-
 dientiæ liberè consecratur. In omnibus autem
 aliis dictum monasterium Iotrense cum universo
 clero & populo villæ & parochiæ Iotrensis sibi
 subiectis pronuntiamus, diffinimus, & ordinamus
 ab omni iure & iurisdictione episcopali & omni-
 moda subiectione Meldensis Ecclesiæ omnino li-
 bertam & exemptam, ita quòd in eisdem mona-
 sterio, clero & populo prædictis seu personis ali-
 quibus monasterij, villæ & parochiæ Iotrensis
 dictus Episcopus, Ecclesia Meldensis, seu quæ-
 cumque alia Meldensis Ecclesiæ persona nec pro-
 curationem eidem Episcopo aliquando à sede apo-
 stolicâ adjudicatam nec aliud quodcumque præter
 præmissa sibi valeat aliquatenus vendicare; salvis
 duobus modis quos habet Episcopus in granchia
 de Troci, quæ est Ecclesiæ Iotrensis, & cera
 thesaurarij Meldensis. Sanè ordinamus quòd dic-
 tæ Abbatissa & conventus decem & octo modios
 bladi decimalis ad mensuram Meldensem, duas
 partes hibernagij, & tertiam partem avenæ,
 annuatim Episcopo memorato suisque successoribus
 in perpetuum persolvent apud Malleum infra
 Purificationem beate Mariæ. Et si decima eju-
 dem villæ ad dicti bladi persolutionem non suffi-
 ceret, residuum infra dictum terminum apud
 Troci solvetur in decima quam ibi habet Ecclesia
 Iotrensis; ita quòd si bladum huiusmodi * ali-
 quibus decimis Meldensis diocesis Abbatissa &

conventus Iotrensis iusto modo poterint adipisci,
 Episcopus contractui suum impetiri teneatur ad-
 sensum, & ipsum bladum taliter acquisitum ac-
 cipiens, illo solo debeat esse contentus, ita quòd
 tantundem sibi valeat quantum valebit in locis
 superius annotatis. In decimis sanè quæ sunt de
 feudo episcopali non tenebitur suum præstare con-
 sensum, si ipse vellet eas redimere. In his enim
 ipse Episcopus præferetur. Hanc autem ordina-
 tionem partes ratam habuerunt, & expressè con-
 senserunt in ipsam. Nos verò volentes ipsius or-
 dinationis notitiam ad posterum pervenire, ut fu-
 turis temporibus inviolabiliter observetur, præ-
 sentem paginam exinde confectam sigillo nostro
 duximus roborandam. Actum Meldis anno Do-
 mini M C C X V. mensis Novembri, pontificatus
 Domini Honorij Papæ III. anno decimo.

Romanus miseratione divina sancti Angeli Dia-
 conus Cardinalis apostolicæ sedis Legatus omni-
 bus præsentibus litteras inspectis salutem in Do-
 mino. Noverit universitas vestra quòd nos inter
 venerabilem patrem Episcopum Meldensem &
 Abbatissam & conventum, clerum & populum
 Iotrensem ordinationem quandam deliberatione
 provida fecimus, eamque in scriptis redactam &
 a partibus approbatam nostri sigilli duximus nu-
 minine roborandam. Verùm antequam protulisse-
 mus eandem, retinimus nobis expressè de au-
 thoritate nostra & communi partium assensu li-
 bertam potestatem declarandi & interpretandi si
 quid in eadem ordinatione repertum fuerit du-
 bium vel obscurum. Actum Parisius anno Domi-
 ni M C C. vicésimo quinto, II. Nonas Novembris.

INNOCENTII III. EPISTOLA
*ad electum Cathalanensem & Abbatem Trium-
 fontium, de qua fit mentio supra pag. 291.*

EX parte Abbatissæ ac sororum Iotrensis Ec-
 clesiæ nostris fuit auribus intimatum quòd
 venerabilis frater noster Meldensis Episcopus
 * commissionis occasione cuiusdam ad venerabilem
 fratrem nostrum Parisiensem Episcopum & dilec-
 tum filium Abbatem de Latiniaco à nobis obtenta,
 in qua nulla mentio habebatur de ipsarum
 privilegiis, quæ illas & earum Ecclesiam, clerum
 & populum Iotrensem ad apostolicam sedem nullo
 mediante spectare declarant, quorum ipse non erat
 ignarus, eas incepit graviter molestare, obedientiam
 ab ipsis ac clero & populo villæ Iotrensis,
 qui secundùm privilegia sedis apostolicæ gaudent
 consimili libertate, subiectionem omnimodam im-
 pendendam sibi requirens. Et infra. Verùm cum
 iudices & assessores eorum ipsas valde gravarent,
 ad appellationis beneficium convolarunt. Et infra.
 Sed iudices ipsi appellationi minimè deferentes,
 nec fragilitati sexus compatiens earum, in Ab-
 batissam [& conventum] excommunicationis, in
 clerum & populum villæ Iotrensis interdicti sen-
 tentias protulerunt. Sanè cum nuntij Iotrensis
 Ecclesiæ prædictæ & alia multa in nostra præsen-
 tia retulissent, quibus eas & suos contra libertatem
 eis concessam gravatos dicebant, privilegium
 nobis apostolicum ostenderunt per quod Ecclesiam
 Iotrensem constabat ad Romanam Ecclesiam spe-
 cialiter pertinere. Nos autem eos diutius detin-
 entes propter appellationem prædictam, quia

Cap. Ex parte.
 De privilegiis.
 * Vide supra
 pag. 290.

* f. ab aliqui-
 bus decimarum

tandem nullus apparuit idoneus responsalis qui partem defenseret adversam, licet postmodum quidam simplex nuntius super hoc prædictorum Parisiensis Episcopi & Latiniacensis Abbatis litteras præsentasset, privilegium apostolicæ sedis Ecclesiæ Iotrensi concessum duximus innovandum, ita tamen ut per innovationem ipsius eidem Ecclesiæ nihil juris plus accrescat quam per privilegia prædecessorum nostrorum obtinuit, cum per hoc novum ei non concedere sed antiquum jus conservare velimus.

**EPISTOLA HONORII II. DE
subjectione monasteriorum Reibacensis & Iotrensis.**

Honorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Butcardo Meldensi Episcopo ejusque successoribus canonicè promovendis in perpetuum. In eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino constituti, ex injuncto nobis officio fratres nostros Episcopos debemus diligere, & Ecclesiis sibi à Deo commissis suam debemus justitiam conservare. Proinde, carissime in Christo frater Butcarde Episcopo Meldensis Ecclesiæ, cujus à Deo tibi cura commissa est, salubriter statuimus ut omnes tam Clerici quam laici in villa Reibacensis & Iotrensi commorantes Meldensi Ecclesiæ jure parochiali subjaceant, & ea quæ de eis ad jus parochiale pertinent, tibi tuisque successoribus libera & illibata serventur. Decernimus etiam ut Abbas Reibacensis & Iotrensis Abbatissa canonicam tibi tuisque successoribus obedientiam persolvant. Benedictio quoque eorum, sicut per tuos antecessores hætenus celebrata constiterit, sic per te tuosque successores deinceps exhibeatur. Promotiones etiam monachorum ad ecclesia-

sticos ordines per Meldensem administrantur Episcopum, si videlicet gratis eas sine pravitate voluerit exhibere & gratiam apostolicæ sedis habuerit. Si quis autem, quod absit, huic nostro decreto sciens contraire tentaverit, honoris & officij sui periculum patiat. nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Datum Laterani xvi. Kal. Maij.

**EPISTOLA ALEXANDRI III.
qua confirmat superiores Honorij II. litteras.**

Alexander Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Stephano Meldensi Episcopo ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. In eminenti apostolicæ sedis specula &c. ut in illa Honorij usque. Proinde, carissime in Christo frater Stephane Meldensis Ecclesiæ, cujus à Deo tibi cura commissa est, salubriter providentes, ad exemplar sanctæ recordationis patris & prædecessoris nostri Honorij Papæ statuimus ut omnes tam clerici quam laici in villa Reibacensis & Iotrensi commorantes Meldensi Ecclesiæ jure parochiali subjaceant &c. ut in illa Honorij usque. Si quis autem contra hanc nostræ constitutionis paginam venire præsumserit, secundò tertiove commonitus nisi temeritatem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantibus autem hæc sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud supremum judicem gaudia æternæ pacis inveniant. Amen. *Data Turonis anno MCLXIII.*

FINIS LIBRI VNDECIMI.

